



HAdrianus natus est in inferiori Germania ad Belgicum oceanū in urbe Traiecto, quæ prouinciæ nomen dat, ac inter Batauos & Canenifates summam obtinet claritatem. Eius pater fuit Florentius, qui familiæ nomen tulerat, atq; magis probitate et ciuili industria, quàm honestis opibus insignis. Nam adeò rerum inopia premebatur, ut quum in filio miram indolem nobilioris ingenij deprehenderet, & ob id altius omnino erudiendum arbitraret, pecuniam uel in frugalissimæ uitæ sumptus suppeditare non posset. Itaq; Hadrianus Louanium missus, impetrauit ut in collegio Portiorum gratuitò aleretur. In eo ita sese liberalibus studijs exercuit, ut ne-

mo eo ardētius literis operam nauare diceret. Nulla ferè eum unquam à scholis iuuenilis uoluptas euocabat. & quum esset supra disciplinæ duritiem uini cibiq; parcissimus, etiã cæteros æquales suos perenni continentia & lenitate animi superabat, eratq; in eo tanta discēdi felicitas, ut quæ alijs essent obscura, uel nimis interpretū subtilitate abstrusiora, ea iucundè rimanti facilima esse uiderent. Sic paucis annis singulas scholarū classes secūdissimo cursu percurrit.